



## The Holy See

---

**IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE IN ECCLESIA SANCTUARIO** IMAGO BEATAE MARIAE VIRGINIS AUXILIATRICIS, QUAE PIE SERVATUR IN ECCLESIA SANCTUarii B.M.V. LOCO TWARDOGÓRA IN DIOECESI CALISSIENSI, PRETIOSO DIADEMATE REDIMIRI SINITUR «NOMINE ET AUCTORITATE SUMMI PONTIFICIS» Ad perpetuam rei memoriam. – In ecclesia sanctuario loci vulgo dicti Twardogóra gratiosa colitur imago B. Mariae Virginis Auxiliatricis. De sententia Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, quam ratam habemus, Apostolica Nostra potestate Venerabili Fratri Stanislao Napierała, Episcopo Calissieni, partes committimus ut imagini illi, pie custoditae in ecclesia sanctuario oppidi vulgo Twardogóra, in dioecesi Calissieni, Nostro nomine et auctoritate pretiosam imponat coronam, iuxta probatum liturgicum ritum. Minime dubitamus, quin sacra quae ibi celebrabuntur sollemnia in religionis bonum populique spiritale emolumentum bene non vertant, pariterque fore confidimus ut ii omnes, qui eandem venerantur imaginem, ad colendam Matrem Dei magis magisque incitentur. Contrariis quibusvis nihil obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die quinto mensis Maii, anno MCMXCIV, Pontificatus Nostri sexto decimo.* ANGELUS card. SODANO  
*Secretarius Status* © Copyright 1994 - Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana